

**.1349-1349- OFP - Acta Capitulum Generalium apud Barchinonam Celebrati**

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.  
 Hec sunt acta capituli generalis apud Barchinonam celebrati  
 anno Domini · M<sup>o</sup> · CCC<sup>o</sup> · XLIX<sup>o</sup> ·

**Iste sunt inchoaciones.**

Inchoamus hanc: In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: unus de fratribus electoribus in qualibet provincia, qui in provinciali capitulo ad hoc electus fuerit, ad diffinicionem pariter cum aliis admittatur, addatur: quod si ad capitulum non venerit, tunc elector alius admittatur.

Item hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: ipso facto sit excommunicatus; quam sententiam ferimus presenti statuto etc., addatur: et cum hoc libris et omnibus aliis sibi appropriatis totaliter sit privatus; et postquam ab apostasia redierit, nullo modo restituatur eidem aliquid de premissis.

Item hanc: In capitulo de professione, ubi dicitur: usque ad mortem, addatur: dies vero ingressus fratris ad ordinem et professionis eiusdem in libro aliquo conventus, in quo professionem fecerit, diligenter annotetur.

**Iste sunt approbaciones.**

Approbamus hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: ante tres annos ad minus, addatur: et si fuerit predicator generalis, dicto officio sit privatus. Et hec habet · ii · capitula.

**Iste sunt admoniciones et ordinaciones.**

Detestabiles excessus fratrum in quibusdam provinciis de comestione cum secularibus et extra conventum, utpote dehonostante nimium statum nostrum, moleste ferentes, prioribus provincialibus ac conventualibus et eorum vicariis sub pena absolucionis districte iniungimus, ut illos pena in nostris constitutionibus contenta absque dispensacione quacumque puniant, quos in hoc invenerint deliquisse.

Item. Cum ex eo, quod magistri et baccalarii expensas faciant in suis principiis notabiliter excessivas, gravantur ipsimet facientes, et paupertas nostra non sine gravi scandalo deformatur, volumus et precipimus in virtute sancte obediencie, quod supradicti magistri et baccalarii nullas pictancias faciant, nisi forte magistri fratribus unam in die aule sue, non autem in diebus, in quibus suas incipiunt lectiones. Et volumus, quod priores provinciales in suis provinciis consimiles excessus lectorum quorumcumque summopere studeant impedire<sup>1</sup>.

Item. Quia tenere pecuniam et iocalia quecumque aurea vel argentea absque licencia extra commune depositum proprietatis vicium sapere videatur manifeste, inhibemus districte fratribus universis, ne excedant in premissis. Quicumque vero contrarium fecisse deprehensi fuerint, vi presentis statuti, rebus, in quibus deliquerunt, sint privati; quas ex nunc eorum conventibus integraliter applicamus<sup>2</sup>.

Item. Cum iuxta apostoli dictum servos Christi non deceat litigare, cum districtione, qua possumus, sub pena gravioris culpe prohibemus, ne frater aliquis in quocumque iudicio ecclesiastico vel civili extra nostrum ordinem compareat per se ipsum, sed per communem syndicum conventus sui fratrem aut secularem studeat flagitare, ut ea, que ad ipsum de iudicio pertinent, valeat obtinere.

Item. Quia frequenter malus angelus se in lucis angelum transformat, ordinamus et imponimus fratribus universis, ut constitutionem de litteris testimonialibus ab itinerantibus deferendis et de causa vie sue facientibus mencionem diligenter observent, sine quibus de conventu ad conventum non transeant. Quicumque autem sine talibus litteris ad conventum aliquem accesserint, nisi essent persone spectabiles, per prelatos ibidem graviter puniantur. Fratres vero fugitivos et inutiles sine licencia prioris sui discurrentes pena graviori culpe debita volumus subiacere.

Item. Quia procurare preces vel litteras quarumcumque personarum secularium, ut obtineatur aliquod officium vel ordinacio facta circa fratrem immutetur contra tenorem nostrarum constitutionem est expresse, et ex hoc perturbaciones et inconveniencia in nostro ordine quam plurimum oriantur, volumus et mandamus, quod constitucio in capitulo De itinerantibus, que huiusmodi prohibet, quantum ad omnes sui clausulas diligenter observetur. Quicumque vero contrarium fecisse deprehensi fuerint, preter penam in predicta constitucione positam pena gravioris culpe puniantur.

Item. Quia ex clausura monasteriorum ordini subditorum debite observata honestas eorumdem et sanctitas quamplurimum custoditur et nutritur devocio ad personas seculares, omni districtione, qua possumus, inhibemus, ne per provinciales aut priores sororum vel eorum vicarium dispensaciones fiant, seu concedatur licencia quibuscumque personis intrandi prefata monasteria, nisi secundum formam, que in constitutionibus sororum de ingressu plenius explicatur.

Item. Propter utilitatem, que evidenter consequitur ex ordinacionibus generalium capitulum Bononiensis et Lugdunensis de studentibus atque studiorum reformacione et de libris fratrum decedencium et de pertinentibus ad sacristiam non distrahendis, ordinaciones ipsas innovamus et volumus cum suis clausulis in suo robore integraliter remanere<sup>3</sup>.

**Iste sunt declaraciones.**

<sup>1</sup> De eodem argumento cf. supra pag. 286 l. 19 sqq.

<sup>2</sup> Cf. supra pag. 299 l. 5. sqq.

<sup>3</sup> Cf. supra pag. 313 l. 28 sqq. et pag. 323 l. 3 sqq.

Declaramus hanc: In capitulo de electione magistri ordinis, ubi dicitur: qui tunc superstites fuerint, quod si quis diffinitorum in priorem provincialem electus et confirmatus fuerit, quantum ad actum diffinitorum debitum, cum ratione officii provincialatus diffinire habeat, reputatur non superstes.

Item hanc: In capitulo de apostatis, ubi dicitur: que restitucio non fiat per eosdem ante tres annos ad minus, intelligatur: non fiat, hoc est, fieri non possit ullo modo.

Tercio declaratum fuit et conclusum, quod mortuo priore provinciali vel amoto, si contingat electionem ipsius provincialis fieri per electores, si conventus aliquis tractaverit ante mortem vel amocionem dicti provincialis de electione socii vel electorum, socius vel electores per talem conventum factus vel electus non est verus socius vel veri electores, sed oportet unum de electoribus factis vel fiendis post mortem ipsius provincialis vel amocionem eligi in socium vel noviter nominari.

Concedimus provincie Lombardie inferioris unam domum ponendam in Murano.

#### **Iste sunt absoluciones.**

Absolvimus hos priores conventuales: Urgellensem, Callataiubensem et Stellensem; et volumus et ordinamus, quod priores absoluti in presenti capitulo, isto anno, nullatenus eligantur ad eadem officia in eisdem conventibus.

#### **Iste sunt instituciones.**

Fr. Franciscum Utinensem absolvimus ab officio prioratus Tervisini, et eundem fr. Franciscum, quantum nostra interest, instituimus et facimus in provincia Grecie priorem provincialem<sup>4</sup>.

#### **Iste sunt assignaciones.**

Assignamus ad legendum sentencias Parisius isto anno fratrem Guilielmum Subdre, priorem provincialem Tholosanum<sup>5</sup>, et quantum nostra interest, assignamus ad legendum sentencias ibidem pro anno sequenti fr. Iohannem de Syaco de provincia Francie<sup>6</sup>.

Item. Ad legendum bibliam ibidem isto anno assignamus fratrem Iohannem de Ambriaco<sup>7</sup> et eidem substituimus fr. Guilielmum Buchini lectorem Aurelianensem, quem conventui Parisiensi assignamus.

Item. Assignamus lectorem in conventu Tholosano fratrem Petrum de Maricalmo<sup>8</sup>, donec frater Gabertus de Orgolio<sup>9</sup> redierit et officium lectoratus velit et possit ibidem exercere.

Item. In conventu Bononiensi assignamus lectorem fratrem Marcum Veronensem de conventu Bononiensi.

Item. In conventu Barchinone assignamus lectorem fratrem Nicolaum Roselli de provincia Aragonie, magistrum in theologia<sup>10</sup>.

Item. In conventu Pragensi assignamus lectorem fratrem Martinum Clatoninensem.

Item. In conventu Avinionensi assignamus lectorem fratrem Henricum, magistrum in theologia, de provincia Tholosana<sup>11</sup>.

Item. In conventu Salmantino assignamus lectorem fratrem Alfonsum de Parano.

Item. Assignamus ad legendum sentencias in conventu Tholosano isto anno fr. Raymundum Miseti.

Committimus magistro ordinis ordinacionem studii Parisiensis et aliorum studiorum generalium, ut ipse de lectoribus, bacalareis, magistris studencium et lectoribus biblie, quantum ad ea, que per nos non sunt ordinata, provideat et disponat, prout generali utilitati ordinis viderit expedire.

Precipimus in virtute sancte obediencie fratribus universis, cuiuscumque condicionis existant, ne ad Romanam curiam accedant, nec in eadem curia maneant sine magistri ordinis licencia speciali, de qua fidem faciant per litteras magistri ordinis priori provinciali vel vicario generali sue provincie, antequam de sua provincia exeant, et in curia procuratori ordinis eandem fidem facere teneantur. Quicumque vero contrarium fecerit, voce et omnibus graciis ordinis penitus sit privatus et nichilominus sentenciam iuridice excommunicacionis late sentencie ipso facto noverit se incurrisse; quam sentenciam magister ordinis coram diffinitoribus iuridice protulit in diffinitorio de ipsorum diffinitorum consilio et assensu, absolucionem sibi soli retinens et reservans.

Concedimus tamen prioribus provincialibus vel eorum vicariis generalibus, quod pro negociis ordinis necessariis ad dictam curiam mittere valeant duos fratres. Concedimus eciam provinciali Provincie vel vicario provincie illius, in qua nunc est curia vel erit pro tempore, quod ipse cum diffinitoribus sui provincialis capituli modum inveniant, per quem refrenato discursu illius provincie ad curiam formam statuam, secundum quam provincialis illius provincie licenciare possit fratres suos ad dictam curiam; quam ordinacionem teneatur provincialis vel vicarius provincie et diffinitores absque dilacione magistro ordinis mittere, ut ipse modifcet et confirmet. Omnem autem licenciam et potestatem licenciandi a magistro ordinis quibuscumque concessam revocat magister ordinis et annullat de diffinitorum consilio et assensu. Concedit tamen magister ordinis priori provinciali Provincie vel eius vicario generali, quod licenciare possit fratres sue provincie ad curiam, secundum quod honori ordinis et eorum negociis viderit expedire. Postquam vero fratres de licencia, ut premititur, curiam

<sup>4</sup> De fr. Francisco Utinen. cf. supra pag. 319 l. 4.

<sup>5</sup> De fr. Guilelmo Sudre cf. supra pag. 325 l. 2.

<sup>6</sup> De fr. Ioanne de Syaco cf. supra pag. 324 l. 32.

<sup>7</sup> De fr. Ioanne de Ambriaco cf. supra pag. 325 l. 5.

<sup>8</sup> De fr. Petro de Maricalmo cf. DENIFLE l.c. pag. 649

<sup>9</sup> De fr. Gaberto seu Gauberto cf. l.c.

<sup>10</sup> De fr. Nicolao Roselli cf. l.c.

<sup>11</sup> De fr. Henrico Giuti cf. DENIFLE Archiv II, 222.

intraverint, infra tres dies a procuratore ordinis statuta et ordinationes factas in curia de cortesanis teneantur petere per preceptum.

Item. Precipimus in virtute sancte obediencie prioribus provincialibus et eorum vicariis generalibus, ut infra sequens capitulum generale mittant fratri Stephano Ecclesie<sup>12</sup> procuratori ordinis in curia Romana, de qualibet provincia racione contributionis et expensis quinque florenos pro anno presenti; et sub eodem tenore precepti, qui non satisfecerunt eidem pro tempore preterito, infra natale domini sibi satisfacere teneantur.

Denunciamus fratribus universis, quod fratres singuli teneantur ad suffragia pro fratre Beuno diffinitore provincie Lombardie inferioris, et pro fratre Matheo diffinitore provincie Dacie, qui preterito anno in via generalis capituli obierunt.

Committimus et concedimus singulis prioribus provincialibus vel eorum vicesgerentibus, ut quilibet eorum quatuor fratres habiles, sufficientes et voluntarios sue provincie societati fratrum peregrinancium propter Christum in Perside et Africa valeat assignare. Summa missarum pro vivis viginti octo.

Summa missarum pro defunctis viginti novem.

Sentencias iudicum approbamus.

Sequens capitulum generale assignamus apud Montempessulanum provincie Provincie, et ordinamus, quod diffinitores, qui anno sequenti diffinient, illuc veniant dominica infra octavas ascensionis domini. Nullus autem alius, eciamsi licenciam habeat veniendi ad capitulum, locum intret capituli ante · vi · feriam vigiliam pentecostes immediate precedentem. Quicumque autem venerit absque licencia vel cum intencione ad capitulum veniendi iter arripuerit, sit ipso facto omni voce privatus, ad quam restitui non possit nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale. Expliciunt acta capituli generalis apud Barchinonam celebrati anno domini · m<sup>o</sup> · ccc<sup>o</sup> · xlviiii<sup>o</sup> ·

---

<sup>12</sup> De fr. Stephano Ecclesiae cf. DENIFLE Archiv II, 223.